

Scholis fit: Sed decet sub noctem diurna studia, exitu septimanæ summam dierum, exitu mensis summam septimanarum, & fine anni summam mensium repetendo, summari, & ex singulis gradibus notatu dignissima ruminari. Quod nescio an hætenus observatum sit à quoquam.

§. 13. Ex eodem fonte insignis Didacticus *Vilhelmus Schickardus* mirabile Hebraicam linguam docendi derivavit artificium, quod in Horologio suo ipse exponit, scilicet 12. pueros simul instituit, in hos Grammaticam sic partitus est, ut alii regulas nominis, alii pronominis, &c. alii partem hanc, alii aliam Syntaxeos tribueret. Lexicon etiam suum breve in eos distribuit, alii \aleph , alii \beth , alii γ , &c. assignando. Ita factum est, ut uno recitante aut respondente, cæteri attendentes portionem ejus tandem ludendo discerent. Et hac ratione hodieque in Scholis deceret non pluribus idem assignari, sed lectionem in singulos